Cum medicamenta quoris, sive simplicia ea fuerint, sive ex pluribus simplicibus ejusdem naturæ atque proprietatis composita; ab effectibus quos in corpore humano edere valent, aut valere visa sunt, nomine quodam generali sortita sint, atque ad certas, determinatasque classes, tam ab antiquioribus, quam a recentioribus rei medicæ chirurgicæque scriptoribus, relata reperiantur: horum vestigiis innixi, (missis quibusvis aliis medicamentorum generibus, de emollientium natura ... hic unice solliciti) talia ... censemus ea, quæ solida morbose tensa strictave emolliunt, laxant, humectant, ... pristinæ flexibilitati restituunt: quæque liquida in anfractuosis vasorum angustiis hærentia stagnantiave, diluunt, temperant, atque eorum acrimoniam corrigendo, moleculariumque morbosas cohæsiones solvendo, aut circulationi apta reddunt; aut si ea sit obstructionis magnitudo, partisve obstructæ natura, ut hoc fieri nequeat, vasorum resistentias minuendo, motuique dissolutorio atque decompositorio humorum stagnantium favendo (acrioris scilicet volatilitate sua subtilioribus, intestinum putrefactivum motum cientibus particulis) suppurationi viam sternunt. Effectus autem hosce ea præstant, quæ ex particulis aqueis, mucilaginosis, aquosis oleosive, crassis unisfidis atque inodoris ex toto, aut ex maxima saltem parte constant: moleculæ enim ramosæ globosæve minutissimæ, blandissimæque, quæ horum naturam atque essentiam constituunt, apta nata sunt, sese obtrudere atque insinuare inter minima solidorum stamina, arctius inter se compaginata indurataque, unde eorum cohæsione laxiori reddita, pristina iis conciliatur flexibilitas atque mollities. Adde quod acrimoniam humorum quamlibet temperent, salina acrioris naturæ spicula involvendo, particulis suis visorosis blandis atque aqueis, unde ea inepta reddunt vasis, fibrillisque nerveis lacessendis, irritandis, crispandisque.

Insuper, inflammatorium quemlibet humorum lentorem solvunt, contactus intimiores molecularum ex quibus constant minuendo, sicque fluiditatem qua pollent ipsa, iis conciliando. hinc hærentium stagnantiumve solutio, atque per vasa maxime lateralia partis obstructæ liquidorum transitus, circulandique libertas.

Si vero, propter obstructionis magnitudinem, partisve obstructæ naturam atque conditionem, ea qua possibile est flexibilitate solidis reddita, liquidisque incarceratis fluiditate, hæc pristinam temperiem, illa, circulandi libertatem, recuperare nequeant, saltem vasorum resistentiis mechanismo supra memorato imminutis, humorumque compagine soluta

atq. decomposita, aut, novis generationi opitulantur, tum vasorum staminibus, tum liquidis in eis contentis in unum homogeneum liquorem pus dictum, vi vitæ impellente conversis: aut his laxatis, illisque ad circulandum sufficienter dilutis, si inflammationis minime participes sint loci affecti, resolventium atque discutientium prudenti usui, viam sternunt.

hæc de Emollientium natura, atque agendi modo, dicta sufficiant, epistolarem tantum dissertationem, non librum scribenti: quamvis enim admodum pauca, artis peritis, atque in re physica mechanicaq. exercitatis, satis esse videntur; indocti vero, atque disciplinarum maxime mechanicarum ignari, ne hæc quidem ullatenus intelligere valebunt. itaque, missis hinc theoreticis speculationibus, arti maxime practicæ, parum admodum facientibus, ne actum ab his qui proxime elapso anno, de repellentibus, subtili nimis, et parum utili theoria dissertabant, agere videamur. ad emollientium varias distributiones transeamus.

Itaque prima classis complectetur emollientia pure talia: hoc est, quæ pauca, aut saltem nulla efficacia prædita, præter emollientia principia continent, quæque proinde particulis mucilaginosis, aqueis, oleosisve tantum constant, exceptis pauxillis terreis salinisve, seme imperceptibilibus, atque virtute medica pro nihilo habendis.

Sub secunda classe collocabimus ea simplicia atque composita medicamenta, quorum principia, quoad maximam partem, emollientia quidem sunt, adunata tamen, aut ex propria natura, aut artis ope, aliis principiis, operatione atque actione physica, sensibili, atque efficaci, minime destitutis, repellentibus v: g: atque discutientibus.

Sub tertia denique classe reponemus ea, quæ emollientia quidem principia complectuntur, sed pauca, eaque plurimis aliis principiis sublilioribus atque activioribus adunata, quæque proinde emollientia stricte appellari nequeunt, ob summam tamen quam pollent, dolores, spasmos, irritationes quaslibet sedandi, efficaciam, cum emollientibus proprie dictis, sæpenumero exhibentur, in plurimis compositionibus ad emolliendi scopum accommodatis, in chirurgicis: narcotica intelligo, exque his composita quævis, aut quælibet alia, in quibus narcotica atque stupefactiva vis, prædominium obtinet.

Ad has tres classes referri sane possunt, quæcunque in materia medica, emolliendi scopum attingunt, sive ea simplicia fuerint, sive composita; sed cum principia quamvis emollientia, aliaque cum his adunata, diversas operandi rationes possideant, diversosque effectus producant, habita ratione tum principiorum specialis agendi modi, tum morbosarum affectionum naturæ, status, atque conditionis, ideo enumeratis prius speciebus —

Compositionibusque singulo cuiusque Classis, observationes sive cautelas quasdam practicas ~~ad~~ ~~[illegible]~~ subjungemus, speciali singulorum principiorum Naturæ atque proprietati specificæ investigandæ accommodatas, idque utilitatis ex hoc exurgere speramus, ut qui antea, confuse, promiscue, et sine accuratiori examine, prodicto medicamentis indiscriminatim usi sint, nulla habita ratione agendi modi specialis, posthac, cum judicio, certitudine, atque fiducia, eorum efficaci auxilio potiri possint, in chirurgiæ subjectis affectionibus debellandis. Sit itaque.

Prima Emollientium Classis.

Ad hanc spectant: rad: Althææ, lilior: albor: Acanthi; fol. et flor. malvæ, altheæ & Verbasci, Alceæ, acanthi, brancæ ursinæ. Semina lini, psyllij, avenæ, tritici, zeæ, oryzæ; quatuor frigid: maj: pap: alb: Amylum gummi arabic: tragacanthæ, Cerevis: Carnis pinguis; fructus amygd: dulc: cacao, sesami; ex animalibus limaces, vitell: ovor: partes animalium variæ, tepide applicatæ, v. g. caro, pulmo, omentum, cerebrum, vituli, vervecis, et et aliorum animalium, maxime phlegmaticorum et juniorum. Olea, sine ignis ope expressa recentia, sem: lini, Amygd: dulc: sem 4 frigid: major: Nucum, olivarum, palmæ, sem: Cannabis: vitell: ovorum. olea per infusionem, lenemve coctionem ex rad: fol: et floribus herbarum emollientium, cum oleo olivarum purissimo preparata; qualia sunt, ol: lilior: albor: verbasci, Altheæ violar: &c. pinguedines recentes animalium butyrum v. g. recens insulsum, cremor lactis recens, pinguedo vituli, porcelli, imo et porci grandioris: aqua pura, tepida, maxime pluvialis: lac omnium animalium præcipue asininum, quod cæteris omnibus anteponitur, deinde vaccinum quod pinguius. Vaporosus interaneorum animalium recenter mactatorum halitus &c.

ex his fieri possunt, balnea, vapores, semicupia, pediluvia, fotus injectiones, ~~[illegible]~~ libus, cataplasmata, clysmata &c. exempli gratia

Balneum pure emolliens

Fit 1° ex aqua purissima, maxime pluviali, dein fluviatili, heterogeneis omnibus quantum fieri potest particulis orba.

2° ex lacte asinino, vel vaccino tepido.

3° sequens. ℞ rad: per taleolas tenuiter incisarum fol: flor: fructuum, vel sem: supra memoratorum quantum volueris. bull: ad summum, per hor. quadrantem in aq: q. s. pro balneo vel semicupio: cui pro re nata, addi poterit, oleum amygd: dulc: lini, olivar: vel quodlibet aliud ex supra memoratis. 4° fieri possunt balnea ex lacte aut solo, aut cum prædictis speciebus decocto. Vapores.

Fiunt ex prædictis pro balneo speciebus, aqua vel lacte incoctis, quarum vapori calido ~~vapori~~ superexponuntur partes affectæ, modo quo fieri poterit commodissimo, decocto

pro re nata injiciuntur aut silices ardentes, aut ferrum ignitum, ad calorem vaporemque revocandos, continuandosque, donec pars affecta, sufficienter fota relaxataque esse videatur. Semicupia, et pediluvia ex iisdem fieri possunt speciebus aquæ aut lacti incoctis.

Fotus.

Decocta pro balneo et vapore jam memorata, spongia mollissima, lana succida, aut panno laneo (gallice flanelle) parti affectæ callide applicantur, ea renovando cum frigescere inceperint; vel decocta eadem, vesica bubula aut porcina, callide parti affectæ applicantur, iterum atque iterum pro re nata calefacienda: imo speciebus emollientibus solis, aut in vesica cum earumdem decocto inclusis, partem affectam fovere licet, dummodo in justo caloris gradu conserventur.

2° pars affecta si fieri id ipsius situs atque natura permittant, foveri potest calore vaporoso intraneorum animalium recenter mactatorum; aut apponi possunt, omenta animalium vervecis vel vituli &c. imo animalia viva per medium dissecta et adhuc calore fumantia.

3° decocta pedum vituli, vervecis, aut horum ~~intestinorum atque mesenterii~~ omasorum, spongia &c. utiliter applicari possunt. Sequens etiam apprime convenit pro emolliendi scopo.

℞ rad: alth: lilior: albor: aa ℥ij fol: malv: branc: ursinæ, aa m. i flor: alth: malvæ, verbasci. aa pug: ij incisis incidendis, bull: per horæ quadrantem in aq: aut lactis recentis ℔iv; colatura sit pro fotu modo supra dicto applicando. addi possunt si lubet, sem: lini, avena excorticata, amygd: dulc: excorticat. &c. dummodo in petiola ligentur; aliter, vinorum nimis, glutinosumque decoctum foret.

Injectiones.

℞ sem: lini ℥ss. linteolo obvolut. infunde per semihoram in aq: bullientis ℔ij, colatura sit pro injectione. fieri etiam possunt injectiones, ex lacte tepido, aut solo aut cum flores emoll: incoct: fuere. imo et ex oleosis, oleisve puris confici possunt. uti in urethræ, atque vesicæ inflammatoriis &c. affectibus convenit.

Linimenta.

℞ ol: amygd: dulc: de mucaginib: lini aperietos aa ℥i mucilag: sem: lini fenugr: rad: alth: aa ℥ss. butyr: insuls: cera alb: aa ℥ss. m. f. liniment.

Aliud.

℞ ol: lilior: albor: verbasc: palmæ, violar: aa ℥ss. ung: alth: ℥iss m. f. liniment.

Aliud Sydenham.

℞ ol: lilior: albor: amygd: dulc: ung: dialth: aa ℥i m. f. linimentum.

Aliud Garengiot ex praxi nosocomii parisiensis Hotel Dieu.

℞ vitell: ovor: n° iv ol: rosac: ℥viij in vase fictili supra cineres callidos, aut in balneo maris misce, spatula leniter agitando, donec linimenti consistentiam acquirat. Spiritum vini consulto omittimus, scopo emolliendi contrarium.

Cataplasmata.

℞ rad: Alth: lilior: albor: aa ℥ i fol: malv: Altea, branc: Ursinæ, aa m: i bull: ad putrilag: in aq: aut lact: q: s: contund: in mortar: quam optime, pulp: per setac: traject: adde farin: sem: lini ℥ ß ol: lilior: albor: Ung: fusc: vulgo de la mere, aa ℥ ß m: f: Catapl:

Aliud.

℞ rad: Alth: lilior: albor: aa ℥ ii fol: malv: m: ij Caric: ping: n.º x coctis et contusis, adde farin: tritici ℥ ij sem: lini ℥ ß misce et per Cribum transmittantur; adde adipis suilli, butyr: recentis insuls: vel ol: lilior: albor: q: s: f: Cataplasma.

Aliud.

℞ medull: panis albiss: ℔ i coquatur in lacte ad pultis consistentiam, adde vitell: Ovor: n.º ij Ol: rosac: ℥ ij Croc: pulv: ℈ i f: Cataplasma.

Aliud.

℞ aven: excortic: ℥ i farin: sem: ~~lin~~ lini ℥ ij bulbor: lilior: albor: ℥ iij flor: Althæe ℥ ß cum lacte recenti decoct: s: a: adde butyr: insuls: ℥ ij f: Catap:

Clysmata

fieri possunt ex decoct: rad: fol: et flor: emoll: ex aqua aut lacte, addito oleo amygd: dulc: sem: lini, olivar: recenti, butyr: recenti insulso, pinguedine animali recenti &c. v: g:

℞ fol: malv: alth: branc: Ursinæ, aa m: i bull: in aq: aut lact: recens mulcti ℔ i colatur: adde ol: amygd: dulc: vel sem: lini, vel butyr: insuls: &c. ℥ ij f: Enema. vel

℞ lact: vaccin: tepidi ℔ i butyr: insuls: vel ol: amygd: dulc: ℥ ij vel tres f: Enema.

vel ℞ decoct ~~[illegible] et [illegible]~~ [mazorum pedumve] vituli: aut ovinis ℔ i f: Enema. vel

℞ infusionis Semin: lini cum aq: propar: ℔ i ol: oliv: recent: q: s: f: Enema.

Gargarismata

℞ ficuum ping: n.º x bull: in lact: vaccin: ℔ i ß colaturæ sit pro gargarismate. vel

Utere infusione rad: althææ, vel flor: Althæa, vel verbasci, cui addi possunt Syrupi Violar: &c. vel

℞ Napar: per taleolas sectar: n.º 2 pom: dulc: n.º i bull: per semihoram in aq: ℔ ij, colaturæ adde Mell: narbon: ℥ i. Utere pro gargarismate.

Plura innumerare Simplicia compositave hæc spectantia supersedeo: enim vero ex materiæ medicæ Scriptoribus, innumera alia ejusdem proprietatis desumi possunt: formulas etiam omnigenas ad hanc classem referendas, in practicorum libris reperire licet. ad cautelas ergo transeamus. itaque notandum.

1.º olea quælibet sub hac classe recensenda, incassum adhiberi sub speciebus, aut cataplasmatibus admixta in doloribus admodum profundis, partium scilicet in abdominis aut pectoris cavitatibus contentarum. impossibile enim est, ut ad varæ nervorve partis affectæ penetrare possint particulæ nimis ramosæ spissæve Olei talis, quæ ex sua natura, poros cutaneos occludendo, viam sibi præcludunt.

2° in inflammationibus etiam externis partium seu musculorum, aut Cutis, si materia morbifica transpirationi ex sua natura apta nata sit, oleosa hujus classis etiam Cataplasmatibus admixta minime convenire; poros enim cutaneos obstipando difflationi materiae peccantis obstant.

3° in putrefactionibus humorum quibusvis, aut miasmate quolibet ꞏ exigulinis ꞏ peregrino a corpore depellendis, minime convenire posse, putrida enim venenataque miasmata, sui admodum multiplicativa, avolare impediunt oleosa talia, viasque ac aulaque per quas talibus noxiis exhalationibus, exitus omni opera procurandus, recludendo. adde, quod si ulcerata partes affectae fuerint, vasa horum opera relaxata debilitataque, facilius corruptioni putredinosae succumbunt.

4° proinde convenire tantum posse, vel ubi dolores, eorumque causa admodum superficiales sunt, aut ubi Vasa, nervique cutanei, communicationes anastomosesque immediatas, cum vasis nervisque partis affectae habent. enimvero in hoc casu, emollitis, laxatisque illis, hi per communicationem, sympathiamque necessario relaxantur atque mulcentur. vel in inflammationibus necessario suppurandis, ubi poros cutaneos obstipando, difflationi tenuioris substantiae liquidi in parte inflammata incarcerati, obstant, sicque motui dissolutorio putredinoso suppuratorio viam sternunt. adde quod Vasa laxando, eorumque resistentias minuendo, horum destructioni opitulantur, unde puris ex parte confectio.

Secundo. Mucilaginosa atque farinosa hujus classis, uti oleosa, fere repudianda esse, ubicunque transpirationi ope, resolutio expectanda; quemadmodum ut et in quibuslibet casibus, ubi miasma putridum venenatumve foras alliciendum est, mucositate enim atque viscositate qua pollent summis, evaporationem horum impediunt.

2° ex se et sua natura, altius quidem poros cutaneos penetrare via posse, balneis tamen atque fomentationibus &c. mixta, in viscerum atque thoracis doloribus spasmodicisque, ut et in profundis partium musculorum doloribus atque inflammationibus, adjumento esse haud exiguo; in quantum scilicet, tenuior eorum substantia mucilaginosa, particulis aqueis plurimis adunata, atque abinvicem separata, ab his per poros partium ex parte obripiuntur, unde spasticas partium stricturas mulcendo, acrimoniamque humorum temperando, calore blando, humido atque vaporoso adjuvante, potentissime solvuntur stases humorum inflammatoriae; sive horum acrimonia, in spasticas adacta fovere crispationes vasa; sive vice versa, illorum crispationes, humorum stasi ortum dedere.

3° egregie vero hoc, cum oleosis ejusdem classis adunata, atque sub cataplasmatis forma applicata, suppurationi promovendae inserviunt, habita ratione phlegmonis, partisque affectae naturae: in inflammationibus enim quibusvis prae phlegmonosis,

panicoli adiposi, partiumve musculosarum, transpirationem partis humorum volatilioris cohibendo, ut et renitentias vasorum ~~inhibendo~~ mitiendo, huic operi maxime opportuna evadunt.

4º hoc, ut et oliva ejusdem naturæ, emollientibus secundæ tertiæque classis admiscentur tam in fotibus, quam in balneis, Cataplasmatibus &c. habita ratione circumstantiarum. de quibus postea.

tertio, aquosa, balnea scilicet fotus, semicupia, pediluvia &c. proficue dicata esse,

1º profundis quibusvis doloribus, maxime viscerum in cavitatibus abdominis contentorum.

2º dyscrasiæ serosoalinæ humorum corrigendæ, ubicunque, calor acer et mordax, vigiliæ, macies &c. salvis visceribus, urgent.

3º tumoribus quibusvis glandulosis, skirrhosisve resolvendis, seu potius ad resolutionem disponendis.

4º in membrorum contracturis, rigiditate, atrophia &c. his enim omnibus in casibus aquosa sub specie balnei &c. vasa, mechanismo superius memorato, potentissime laxant, humores diluunt, moleculorum contactus minuendo, ~~et~~ acrimoniam quamlibet seu ingenitam, seu ~~[illegible]~~ peregrinam obtundunt, temperant, enervant, unde dolores quamvis profundos, mulcent, calorem, vigelias, &c. corrigunt, humorum resolutioni viam sternunt, ac denique membra contracta &c. pristinæ flexibilitati restituunt. de hujus primæ classis speciebus &c. satis. transeamus ad secundam

Secunda Emollientium Classis.

1º emollientia nitroso-refrigerantia, leniter repellentia.

Radix et folia betæ; herbæ, mercurialis, parietariæ, violariæ, lactucæ, portulacæ, alsines, telephium, sempervivum majus, cotyledon, brassica, bonus henricus, atriplex, borrago, spinachia valerianella, acetosa, cuscuta, lens palustris: fructus, cucumis, cucurbita, melo, pepo: phaseolus, ficus virides, pulpa cassiæ, tamarindi, poma cocta aut putrida, rad: cep: albar: sub cineribus probe coctar: ut sic acrimoniæ innatæ maxima parte spoliari possint. rapæ, napi, mel, saccharum. albumen ovi, &c. ex compositis, ol: rosat: ol: ovor: in mortar: plumb: pistillo plumbeo conquassatum ad nigredinem. unguent: refrigerans galeni, rosatum, nutritum, album rhasis, tetrapharmacum &c. serum lactis dulce &c.

2° Emollientia salino-volatilia, resolventia discutientia

flores Sambuci, meliloti Chamomeli, Croci, tiliæ, Cyani; Farina, furfur: Orobi, Ciceris Secalis, hordei, fabarum, lupini, Cannabis, Senseris maris; &c. Olea per decoctionem parata, hyperici, Sambuci, meliloti, Chamomeli, Croci; olea expressa, Amygd: amararum, Cannabis; Olea ex piscibus coctione extracta; pinguedines animalium Calidorum v. g. Axungia humana, Ursi, taxi &c. pinguedo, Anseris, Anatis, Canis, lardum et butyrum rancida; pinguedo Vulpis, lupi &c. Medulla, Cervi, Vervecis, bovis, Sperma Ceti, Oesypus sive lana succida, Mumia, Sebum Suinum, Ovinum, bovinum &c. Composita; Ung: dialth: Sambucinum, linariæ, Catellorum, e Ranis viridibus, de Mucaginibus, fuscum vulgo de la mere; Balsam: Samaritanum; aqu: thermales &c. ex his, uti ex emoll: primæ Classis fieri possunt, Balnea, Semicupia, pediluvia, vapores, fotus gargarismata injectiones, litus, Cataplasmata &c.

hujus Classis simplicia raro sola, sæpissime, cum speciebus compositivæ primæ, aut tertiæ Classis admiscentur, ut sic exurgat composita quodam vis, efficacior, atque magis consona indicationi curativæ in Chirurgicis: talis enim, morbosarum affectionum ad Chirurgiam spectantium, natura atque conditio, ut nec pure emollientia qualia sunt primæ Classis species, neque ea, quæ ad hanc, tertiamve Classem spectant, sola expostulent, ut posthac clare demonstrare speramus: nihilominus tamen in quantum plurimi sunt casus, in quibus his solis cum fructu uti licet: quædam formularum exempla, ad quorum normam aliæ quamplurimæ concinnari possunt, proponemus, quibus uti, cuique liberum erit, id indicante morbosi affectus natura, partique affectæ conditione. itaque 1°

Balneum ad primam divisionem hujus Classis spectans.

℞ fol. parietariæ, Violar: alsines, lactuc: mercurial: aa m: ij vel plures. bull: in aquæ q. s. pro balneo, semicupio, pediluvio &c.

Aliud ad secundam divisionem ejusdem classis spectans.

℞ flor: melilot: Sambuci Chamomeli aa m: j vel plures. bull: vase tecto, in aq: q. s. pro balneo &c. ex aquis etiam thermalibus, fieri possunt, balnea, pediluvia, semicupia, fotus &c.

Vapores.

fiunt ex predictis pro balneo decoctis, applicatis modo quo diximus, de primæ Classis emollientibus agentes.

Fotus.

ex iisdem fieri possunt decocta, quorum utendi ratio, ex prædictis repetenda fieri etiam possunt ex sero lactis

Injectiones ad primam divisionem referenda.

℞ decoct: fol: violar: et parietar: q. s. ol: hyperici q. s. m. pro injectione

Aliud

℞ decoct: mercurialis q. volueris, syringa injiciatur.

Aliud ad secundam divisionem pertinens

℞ decoct: hordei integri ℔ß mell: rosac: ℥i m. pro injectione

Aliud

℞ decoct: flor: chamom: sambuc: melilot: ex lacte q. s. pro injectione vel
℞ Balsam: Samaritan: vel aq: thermal: q. s. pro injectione.

Gargarismata ad primam divisionem spectantia

℞ Succi sempervivi major: aut mercurial: aut parietar: aut horum omnium ℥ii ser: lact: vitat: depurati, aut si emolliens magis desideratur, lact: recens mulct: ℔ii m. f. gargarisma.

Aliud

℞ Rapar: excorticat: per taleolas incis: n.º i cucurbit: similiter secto ℥i bull: in lactis recentis ℔iß. f. gargarisma

Aliud ad secundam divisionem spectans.

℞ hord: integr: ℥i furfur: macror: ℥ß. bull: ad hordei crepatur: in aq: ℔ij colat: adde mellis narbonensis ℥ß. f. gargarisma.

Aliud.

℞ Licer: rubr: ℥i bull: in aq: ℔iß ad lib: iß adde flor: hyperic: sambuci aa ℥ij bull: iterum per horae quadrantem, colat: dissolve, mell: aut syr: capillor: vener: ℥ß. f. gargarisma.

Linimenta ad primam divisionem referenda

℞ Succi mercurial: Betae aa ℥i ol: rosat: ℥ij Cer: alb: ℥i in vase fictili, lento super igne, misce, f. linimentum.

Aliud

℞ ol: violae, rosac: aa ℥i Ung: refriger: Galeni, rosati aa ℥ß m. f. liniment.

Aliud ad secundam divisionem spectans.

℞ ol: hyperici, sambuci aa ℥iß axung: humanae, Ung: dialth: aa ℥i m. f. linimentum.

Aliud.

℞ ol: chamom: hyper: aa ℥ij axung: taxi, ol: catellor: cod: parisini, Ung: sambucini cod: londinensis aa ℥i sperm: ceti ℥ß. m. f. liniment.

Aliud.

℞ ol: amygd: dulc: ℥iß Cer: alb: spermat: ceti aa ℥i balsam: galead: ℥ß. m. f. linimentum.

Cataplasmata ad primam divisionem referenda

℞ fol: violar: pariet: mercur: aa m. i ficuum virid: par: ij bull: ad putrilag: in aq: q. s. pulp: per setac: trajeçt: ad. Ung: rosac: ol: violae: aa ℥ß f. cataplasma. fieri etiam possunt eidem indicationi convenientia, ex pomis coctis, aut putridis, addito Ung: rosato, nutrito. aut ex pulpa cassia recenter extract: aut ex pulpa tamarindorum

Aliud.

℞ Carnis Cucurbitae per thaleolas sectae ℔ j bull: ad pultulag: in lact: vaccin recentis q: s: pulp: per setaceum traject: adde farinae tritici cum furfuribus ℥ j olei rosac: ℥ iß f. Cataplasma.

Aliud ad Secundam divisionem pertinens.

℞ flor: Samb: Chamom: melilot: aa ℥ ij, bull: ad pultulag: in lact: q: s: pulp: per setaceum traject: adde farinae Secalis, ol: Chamom: ung: fusc: vulgo delamere aa ℥ j, f. Catapl:

Aliud.

℞ Cepar: sub Cinerib: coct: nº j flor: sambuci, melilot: in lacte coct: et cribrat: aa ℥ j adde ol: Catellor: ung: sambuc: aa ℥ j far: fabar: ℥ ß f. Cataplasma.

Clysmata primae Divisionis.

℞ fol: mercurial: pariet: violar: aa m: j bull: in aq: q: s: pro clystere, colaturae adde Mellis Com: ol: violae: aa ℥ j m: f. Clysma.

Aliud.

℞ decoct: Cucurbitae q: s: pro clystere, colat: adde mellis mercurial: ol: violae: aa ℥ j. m: f. Clyster.

Aliud Secundae Divisionis.

℞ flor: Chamom: melilot: Sambuc: aa ℥ j. bull: in lact: q: s: adde ol: Chamom: aut Sem: Cannabis, ℥ ij m: f. Enema.

Aliud.

℞ furfur: macror: hord: integr: aa ℥ j bull: ad hordei crepaturam, in aq: ℔ j colat: adde ol: Chamom: coct: ℥ ij ping: Canis ℥ j. f. Clysma.

Notandum circa hanc classem.

1º Tam simplicia, quam composita haec, raro aut nunquam sola adhiberi in Chirurgicis.

2º Utiliter admisceri, speciebus primae atque tertiae Classis, prout scilicet, plus minus emolliendum; plus minusve spastica vasorum strictura relaxanda.

3º Sola etiam summo cum fructu praescribi posse sub qualibet forma, habita circumstantiarum ratione, de quibus postea: hic tantum sufficiat indicare.

1º Species primae divisionis, emollientia scilicet, refrigerantia leniterque repellentia in praxi chirurgica, immediate post repellentium usum applicanda esse, hoc est, ubi dolens, et in unum tumorem sublata pars, emollienda quidem est, laxandaque, sed leniter, et ita ut humorum affluxus non promoveatur, resolutionis spe aliqua adhuc existente, non illius quidem per insensilem materiae morbificae transpirationem, sed illius qua fit, materia vasis impacta, his laxatis, atque vi istorum medicamentorumque ope, ita attenuata, atque elaborata, ut circulanti sanguini admisceri de novo possit.

2º Sola, nullo modo convenire, imo nec aliis emollientibus commixta, ubicunque materia morbifica talis indolis est, ut sui difflationem per poros cutaneos postulet, hoc enim huic operi adversantur, obvim quia pollent refrigerandi, humoresque exhalantes repellendi: enimvero, quamvis maxime apta nata sint, virtuteque

pollent, ratione qualitatis suae nitroso-salinae, humores, in vasorum arteriosorum extremitatibus inflammatione impactos solvendi, attenuandi, atque fluxiles reddendi, tantum abest tamen, ut ad ultra exteriora hos jam resolutos, alliciant, ut e contra vasorum lateralium ora, illos regredi cogant. unde resolutio saltem hoc modo sequitur.

3.° ex his soli, quasdam ceu nimirum ipse formulas efficacis haud spernendae; in quibusdam cutaneis morbosis erosionibus, exulcerationibusque: temperant enim egregie humorum rodentium acrimoniam, eorumque affluxui obsistunt.

4.° Specierum in hac classe numeratarum folia sola, in quibusdam particularibus morbis strenue opitulari, calorem scilicet acrem atque urentem temperando, imo et saniosae si quo adsit, materiei erodendi vim mulcendo, hancque jam concoctam atque cicuratam leni stimulo nitroso-salino foras alliciendo.

Secundo. Secundae divisionis species, 8. emollientes scilicet leniter resolventia, atque discutientia, ubi ultimo memorato, raro admodum sola praescribi; in compluribus vero formulis cum emollientibus aliis adunari; ubicunque scilicet, eis leniter discutiens, emollienti aut sedanti, auxiliatrix desideratur. his etiam solis, aliquando uti licet, cavendo dummodo caveatur.

1.° ne his utatur chirurgus, humoribus ubicunque dolorum saevitia affecta pars torquatur, humoribus cum impetu in eam irruentibus: porro hoc in casu, resolutio inutiliter tentatur, et quod plus est, resolventia quaelibet, utpote qualitate salina volatili praedita, vasorum oscillationes augendo, vellicatione quantumvis leni, horum, partiumque nervosarum, dolorem, partiumque tensionem augent, liberum humorum circuitum quodammodo intercipiendo. adde quod, etiamsi horum usu in praedicto casu, pars aliqua, saltem fluidior tenuiorque materiae affluentis exhalationi apta evadat, crassior, magisque terrena, liquidiori hac portione spoliata, firmius pertinaciusque impacta remaneat.

2.° nec sola, nec cum aliis emollientibus praescribi debere, ubicunque suppuratio promovenda; portionem enim tenuiorem magisque fermentativum humorum suppurandorum dissipant, sicque suppurationem difficilem imo irritam reddunt. et quod plus est, aliquando, loco hujus summis viribus optandae, schirrhosa, modo supra dicto, induratio subsequitur.

3.° primum et praecipuum horum usum esse tam per se, quam cum aliis emollientibus permixtorum, circa finem inflammationum; ubi scilicet, dolor, tumor, caeteraque accidentia admodum imminuta sunt: hoc enim in casu, egregie dissipationem reliquiae humorum in parte adhuc impactorum, per insensibilem transpirationem discutiunt atque dissipant. idem dicendum de humore quolibet seri, et ex sua natura volatili, dummodo extra suppurationis periculum constituta fuerit pars in qua talis humor consistit, dolor, tumorque admodum imminuti fuere.

4° Nunquam haec cum emollientibus primae divisionis ejusdem classis ordinari debere; quamvis enim ambae species ex aequo attenuare, dividere, dirumpere humores in moleculas majores cohaerentes, eosve parte qualibet impactos, apto nata sint; tamen in quantum hae ad cutis poros alliciant, illae vero hos quodammodo stringendo claudunt, opposito modo, contrario merito descendae sunt.

5° observandum semper, ubicunque humorum morbificorum promovenda potenter perspiratio est, has cum oleosis primae classis minime miscendas esse; poros enim cutaneos occludendo, hae, harum actioni officiunt, ut cuilibet perspicuum esse puto.

Jam denique ad tertiam pervenimus emollientium classem, cujus species sunt flores et folia pap. Rhoeados, alb: Nigri, folia solani; hyosciami, fol. fructus; folia Cicutae Cynoglossae; folia mandragorae ut et ejusdem radix; Stramonii, folia, fructus; belladonnae folia et fructus, ut et melongenae; lycopersici folia fructus; opium: oleum hyosciami, Mandragorae, Stramonii et similia; Ung: populeum, hemorrhoidale Cod: Pari: Balsam: tranquillans; Sals: hypnoticum &c.

Circa haec notandum.

1° Nunquam sola, in balneis, semicupiis, pediluviis, cataplasmatibus & usurpari ex eo quod, vi narcotica atque stupefactiva qua pollent, partium tonum dejiciant, unde humorum stasis irremedibilis, aut gravis nervosi stupor atque insensibilitas, secretiones omnigenas pervertens, sistensque.

2° linimenta atque unguenta ex his fieri posse, paucis aut nullis aliis speciebus adjectis v. g.

linimentum

℞ ol: hyosciami, ung: hemorrhoid: Cod: Parir: aa ℥i. m. f. linimentum.

Aliud.

℞ balsam: tranquill: q. v. utere pro linimento vel ex succo solani, vel fructus belladonnae, vel stramonii succo, in mortar: plumbeo, pistillo plumbeo diu agitatis fieri potest unguentum.

3° vero, frequenter cum emollientibus aliarum classium admisceri sub omni forma, natura scilicet morbosi affectus, vim horum stupefactivam, aliorum tamen emollientium adjectione moderatam atque temperatam, postulante.

Circa horum usum in genere, notandum 1°

1° in quibuslibet inflammationibus caute cum his esse mercandum; convenire enim nequeunt, nisi prius vasa, sanguinis missionibus viribus aegri atque morbi genio proportionatis, probe deplenta fuere.

2° etiam in praedicto casu, his non utendum, nisi summa urgente dolorum ferocia atque vigilia inde proveniente pertinaci, aegri vires prosternente.

3° ubicunque gangrenae metus, his omnino abstinendum; hanc enim stemue

accelerant, vasorum, nervorumque stamina, tonum laxificando.

4° Planotiae hae, maxime conveniunt, in spasmodicis partium nervosarum stricturis; duminodo, ut Antiqui loqui amant, sine materia, talis spasmus deviant; cum etiam cum materia, exigua tamen, atri deletoria, potius quam mole, animalem oeconomiam motibus spasmodicis seris perturbante; hoc enim in casu, exquisitum nimis, nervosi systemati sensum hebetando, praecaventur dolores, insomnia, deliria, convulsiones et hactum scilicet in consensum cerebro; aut ad minimum, obviam itur stasi forte inflammatoriae humorum in affecta parte; impedito scilicet, horum libero circuitu, ob vasorum angustationem spasticam fibrillarum nervearum intertextarum stricturae inductam.

5° hae perniciosa esse, ubi suppuratio promovenda. loco enim hujus, gangraena, sphacelusve expectandi.

6° denique resolutionem promovendo, tantum abest, ut ea natura sua inserviant, ut e contrario oscillationes vasorum minuendo, indurationi humorum impactorum Skirrhosae maxime faveant.

Absolutis jam quae de emollientium natura, operandi modo, atque divisione, dicenda erant, adjutisque quibusdam circa horum usum practicum cautelis generalioribus, restat ut de speciali eorum utilitate sermonem habeamus, habita ratione 1° Regionis, 2° tempestatis; 3° vitae generis; 4° aetatis; 5° sexus; 6° temperamenti; 7° partis affectae naturae; 8° morbique ejus essentiae atque conditionis. itaque sciendum.

1° Incolas Regionum borealium, maxime maritimarum, Anglos, v.g. Batavos, et inflammationibus quibusvis externis laborantes, tardius expostulare emollientium usum, emollientium saltem primae classis: sanguis enim horum, transpiratione ob Coeli inclementiam parcius succedente, serosior dilutiorque est, vasaque ob redundantem humiditatem flaccidiora, quamobrem, resolutionis spem diutius probent; propterea que, suppurationem promovendo tardius incumbendum. et hinc est, quod hi qui curendo arti incubuere in talibus regionibus, in omni fere inflammationis statu, excepto principio, ubi repellentibus positivis solis uti sunt, emollientibus hoc, vel resolventia pro re nata admiscere. ut videre est in Fernelii praxi, ubi de inflammatione. sequentia enim verba ponit: ; habent enim inflammationes,
; ut alii tumores ac morbi, quatuor tempora; principium, augmentum, statum et decli-
; nationem. et paulo post sequentia addit; ; cum enim tempus inflammationis
; quodque, rursum in tria quoque quasi tempora et spatia dividi possit; finis praecedentis
; participat naturam principii sequentis, et cum eo fere convenit. hinc in primo fere
; inflammationis principio, seu ea principii parte, quae ab augmento adhuc longius
; distat, solis repellentibus utendum; vergente autem ad augmentum principio, seu ea
; principii parte, quae jam progressu augmento propinqua est, admiscere digerentia
= utile est;

: in augmento et principio Status, æqualiter fere miscenda sunt digerentia et repellentia: etsi enim Sanguis amplius non fluat, tamen cum non adeo sit impactus, aliquid quid adhuc repelli potest; in medio postea Status digerentia præpollere debent; in fine Status, eadem sola adhibenda; quod etiam quoque tandem in inflammationis declinatione faciendum: quod enim hic, de digerentibus repellentibusque dicit, id de emollientibus intelligendum saltem de emollientibus secundæ Classis, quæ inter repellentia discutientiaque sive digerentia reponit. imo et de primæ classis emollientibus: ut cuilibet tractatum de inflammatione legenti constare potest. formulæ sequentes hujus fidem faciunt.

Ante Statum. ℞. farinæ hord: ℥ij sem: lini ℥i puls: flor: Chamom: ℥ß. coque in aceto et adde ol: rosae: Chamom: pinguedinis gallinæ ana q. s. f. Cataplasma.

Aliud in Statu. ℞. rad: lilior: albor: ℥i flor: Chamom: melilot: ana m. j rosar: rubr: sumitat. anethi: ana m. ß. coque in aq. contunde minutim, adde far: sem: milij, hord: fenugræci, ana ℥i. Croc: ʒß. ol: Chamom: q. s. f. catap:

Ex dictis ergo constat, sub finem tantum, aut ad summum in medio Status, illum emollientium primæ Classis, etiam etiam cum alijs emollientibus combinatorum, usum suadere in inflammationibus resolvendis; in suppurandis etiam ex necessitate, paulo citius primæ Classis speciebus solis. idem sentiunt Joannes Tagaultius instit. Chir: lib: 1°. pag: mihi 26.ª Junker: in Conspectu Chirurgiæ, ubi de inflammatione, et Boerhave in aphorism: de inflammatione disserens, qui omnes tardius ad emollientia recurrunt, ob spem resolutionis in succis regionum in quibus artem exercent majorem, propter rationes superius allatas.

2°. Certum est, in frigidioribus regionibus, suppurationem difficilius promoveri quam in calidioribus, humidioribus. propter bilis inertiam caloris que defectum ad motum dissolutorium suppuratorium minus dispositis; cuilibet enim in oeconomia animali versato, facile constat, bilem humorum acrimoniam maxime biliosam, vasa rodendo, motumque dissolutorium fermentativum lymphæ sanguinisque impacti excitando, suppurationi velificari; nisi talis tanta fuerit, ut vita auxiliante, ut potius gangrenosam corruptionem acceleret. et hinc est quod in septentrionalibus plagis practicantes, Cataplasmatibus suppurantibus, Cepas extc. acres, Mel. et ex fermentativum gummata &. adjiciunt. ut videre est in sequentibus.

Barbette sequens suppurativum laudat. ℞. Cepar: sub Ciner: coctar: ℥iij fic: ping: n°. x pist: pass: adde Ung: basilic: ʒvi, ping: anatis, ℥i mell: virgin: far: sem: lini ana q. s. f. Cataplasma.

Sequens eidem scopo accommodatum, ex Junkero est. ℞. mellis partes ij fermenti partem j Saponis Venet: partem ß. vitelli ovor: n°. j vel alterum, misce tepide applicat.

Boerrhave sequens laudat. ℞. fol: acetos: recent: m. iv. butyr: insuls: ℥i ad ignem lenter decoct: adde fermenti panis ℥ij gumm: sagapen: in vitello ovi solut: ʒij f. Cataplasma.

Secundo, idem ob eandem rationem de tempestate humida frigidaque dicendum frigida enim, maxime si cum humiditate conjuncta fuerit coeli temperies, humorum

lentorem pituitosum vasorumque aut laxitatem atque inertiam, aut rigiditatem tonicam inducit, unde ad suppurationem ineundam minus apti. Resolutionis diutius affulget spes; hinc cum emollientibus resolutioni idonea, in omni fere morbi periodo admiscenda.
2º. tumore semel formato, emollientia, ubi non refrigerantia, tali tempestate existente, parius cum aliis esse admiscenda. prosunt enim his emollientia resolventia: eo quod nitosa quaelibet vasorum oscillationes, frigore praesente, antea admodum segnes ulterius labefaciunt, proindeque resolutioni obstant. adde quod humorum pituitosa viscositas frigore contracta, infrigidantium actione ulterius augeatur, proindeque resolutioni contraria in hoc casu tenenda sunt duas tantum formulas quod dictum est illucidantes, unam ex Sennerto, alteram ex Barbette invero. ℞ rad: lilior: albor: ℥i flor: Chamom: melilot: aa m. i rosar: rubr: summit: aneth: aa m. ß. Coque in aq: adde farin: semi milii fenugr: hord: aa ℥i Croc: ʒß. ol: Chamom: q. s. f. Cataplasma.
℞ fol: malv: far: rad: althaeae, fenugr: aa ℥ij hord: ℥i pingued: anatis, ol: Aneth: aa ℥ß. coque ad Cataplasm: consistentiam. quamvis enim formulae hae, circumstantiis praedictis nominatim dictae non sint, cuilibet tamen, eas his commodas valde esse constat; cur enim tanta reperitur in probatissimis Auctoribus formularum diversitas, uno eodemque in morbo, nisi ut cuique liberum foret, singulas, circumstantiis diversis accommodare atque appropriare, physiologica atque pathologica scientia illum illucidante?
3º. Ubi vero ex necessitate suppuratio promovenda, emollientibus activa fermentativaque addenda sunt. Cepae v. g. sub Cineribus coctae, fermentum acre, gummata &c. horum enim adiutorio, ad suppurationem ineundam indigent, humorum spissitudo, inertia, ineptitudo ad intestinum dissolutorium; suppurationi necessarium motum concipiendum; vasorumque aut nimia laxitas, aut inflexibilitas, atque oscillatorios motus concipiendos inertia. Cataplasmata huc spectantia ex antedictis repetenda, ubi de frigidarum Regionum incolis actum est.
tertio. vitae genus plurimum facit in morbis Chirurgicis tractandis: ratione enim et experientia constat, exercitatos, laboribus assuetos alimentis substantificis, coctu difficilibus nutritos, quales sunt rustici, operarii &c, firmiorem obtinere solidorum texturam, delicatulis atque in luxu otioque nutritis; proindeque in morbis quibusvis inflammatoriis, his citius emollientium postulari usum, etiamsi resolutioni obtinendae operam navare animus sit. elastica enim vasorum vis major; humorumque a tergo violenter impulsus, resolutionis spe fere omni sublata: gangraenosam, aut ad minimum, suppuratoriam corruptionem producere apta nata sunt; saltem si inflammatoria fortior aut magis extensa stasis fuerit; unde patet necessitas, fibrosam vasculosamque partis texturam laxandi, matura emollientium applicatione. adde, quod in talibus subjectis, inflammatione paulo grandiori existente, nulla fere resolutionis adsit spes; proindeque suppuratio quam citissime promovenda est, ne pejor gangraenosa corruptio irrepat, idque tum propter vasorum elasticitatem justo majorem validamque vim vitae impellentem; tum propter humorum spissitudinem majorem, ineptitudinemque proinde ad resolutionem, cujus ex praecipuis conditionibus

16 liquidorum fluiditas est. hujus praxeos testes appello; Mielancum de tumoribus pag: 21. Sennertum de inflammatione pag: 803. Guidonem ex Tagaultio instit: Chirurgicar: pag: 26. Sed extar omnium, Junker: de tumor: inflammator: pag: 48. Boerhave de inflammatione pag: 64 et 66. Col de Villars Cours de Chirurgie pag: 257 ubi de phlegmone.

2º. emollientibus primae Classis, in principio jungenda esse, quae sub nomine emollientium nitroso-refrigerantium sub secunda Classe reposuimus, ad calorem scilicet doloremque temperandos, affluxumque quantum fieri potest praepediendum; emollientia vero discutientia, non nisi parca manu, et sub finem morbi, ad reliquias scilicet dissipandas, esse cum aliis emollientibus admiscendas. in omni enim alio periodo morbi, noxia sunt, ob eum quem possident stimulum. hujus doctrinae in exemplum sint formulae sequentes.

in principio immediate post repellentium usum ℞ fol: violar: mercurial: parietar: aa m. i bull: in aq: q. s. pulp: per setac: traject. adde far: tritici ℥ß. ol: violar: Ung: rosat: aa ℥iij f. Cataplasma.

in augmento et statu. Sennertus. ℞ rad: alth: lilior: albor: aa ℥ij fol: malv: ℥ij Caricar: ping: nº x: coctis et contusis, adde far: tritici ℥ij sem: lini ℥ß. misce, et per cribrum transmitte, adde adip: suillo, butyr: insulo: vel Ol: lilior: q. s. f. Catap:

Aliud eidem faciens scopo. Boerhave. ℞ aven: excortic: ℥i far: sem: lini ℥ij bulbor: lilior. albor: ℥iij flor: alth: ℥i cum lacte recenti decoctis, s. a. adde butyr: insulsi: ℥i f. Catap:

Aliud Col de Villars. ℞ rad: alth. fol: flor: alth: malv: bulbor: lilior: albor: sub cineribus coctor: aa ℥iij farin: sem: lini fenugr: aa ℥i bull: cum s. q. hydromellis, post: passis, adde Ung: Basilicon: ol: lilior: albor: aa ℥i. m. f. Catap:

Notandum, haecce cataplasmata pro suppurandi scopo esse concinnata; suppuratio enim horum ope, nullis additis fermentantibus, in robustis atque exercitatis, in quibus omnia justo violentiore sunt, facile opere obtinetur; imo in his timendum foret, ne additis fermentantibus, motus inde in parte auctus, aut extensa admodum fermentatio suppuratio oriatur, aut pars affecta gangrenae particeps fiat; motu, ex se nimis recepto atque violento, horum ope efficaciter aucto.

Quarto, haberi debet et aetatis ratio in chirurgicis. certum est enim, infantium tumores quoslibet inflammatorios, facilius suppurari, quam eorum qui adultioris sunt aetatis, idque propter summam vasorum teneritudinem; unde a vi vitae (humores blandos licet, serosos tamen, proindeque suppurationi magis aptos) impellente, facilius disrumpuntur, et cum liquidis contentis, in pus convertuntur. hinc patet in hac aetate, discutientibus, adjectis paucis emollientibus, in principio semper esse utendum; ut sic tonum vasorum fulciendo, a destructionis periculo liberentur, resolutioque potius materiae ipse impactae promoveatur; si vero hujus nulla spes adsit. emollientibus puris, primae Classis prae aliis, utendum quae scilicet ex se, satis superque sunt suppurationi accelerandae in talibus subjectis, nullis proinde adjectis putrefacientibus fermentatioque indolis suppurantibus.

Infantes ergo eadem quae cum frigido regionis incolis medicamenta expostulant, in principio scilicet inflammatoriarum affectionum; in statu vero, ubi necessario suppuratio promovenda, eadem cum exercitatis atque adultis. quo ad pueris confectionem sufficere videntur obvasorum hac in aetate summam teneritudinem, humorum prostatam redundantem.

2.° Adultos vero in quibuslibet inflammatoriis affectionibus, ab ipsomet morbi principio Emollientium usum expostulare, emollientium scilicet secundae classis, nitroso, scilicet refrigerantium, quo moderando humorum impetui, atque orgasmo temperando, vasorumque vibrationes violentiores sedando, apprime conveniunt, cavendo ejusdem classis emollientis discutientibus, quo stimulo quantumvis blando quo agunt, solidorum oscillationes augere valent, dissipandoque impactorum liquidorum portionem tenuiorem, omnia in pejus ruere sequuntur, aucta ex omni ratione inflammatione: imo tantum abest ut in praedictis casibus discutientibus uti possimus, ut e contra, dolorum ob nimiam partium nervosarum tensionem violenter saevientium, ratio quam maxima habenda sit, emollientibus cum cautela additis narcoticis; hac enim in aetate, in qua omnia vasta violentaque sunt, danda opera, ut vasorum nimia vis fluidorumque impetus imminuantur, ne loco suppurationis, si discutionis nulla spes, pestifera semperque timenda oriatur gangraena, quae hac in aetate, frequentius quam in qualibet alia, ob solidorum eximium robur, liquidorumque violentum motum, atque acrimoniam oriri videtur.

3.° denique senum inflammatoriae affectiones, ab ipso principio, emollientis discutientium expostulant applicationem, expeditis nitroso-emollientibus: hi enim imminutis vasorum oscillationibus, resolutioni apprime necessariis; lenium discutientium opera utendum, aliter resolutio sperari vix ac ne vix quidem sperari potest. adde quod liquidorum spissitudo ac lentor, leniter resolventium atque attenuantium applicationem expostulent, cavendis omnibus, quae horum lentorem ex se nimium augere valeant, vasorumve vibrationes, justo alias segniores minuere. hujus autem generis repellentia omnigena, imo et emollientia secundae classis, sub nomine nitroso emollientium cognita. observandum tamen, discutientium usum summa cum prudentia esse moderandum, ne loco resolutionis perfectae imperfecta tantum obtineatur, dissipato scilicet fluidiore liquido, incrassatoque proinde spissiori magisque terrena ejusdem portione, atque in skirrhosam duritiem coacto.

2.° Suppuratio, si ex morbi natura necessaria videatur, promovenda, additis, aliis emollientibus, his, quae vasorum destructioni, atque humorum decompositioni favent, fermentantibus. scilicet, Caricis, ficubus, melle &. sine quibus suppuratio tarda admodum, imo e parum laudabilis foret propter vasorum duritiem inflexibilitatemque destructioni suae repugnantem, humorumque lentorem decompositioni, fermentationique ineptam: et hinc est, quod raro hac in aetate, inflammationibus supervenire gangraena, frequentius vero skirrhosae indurationes.

hac ergo in Etate inflammatorii morbi in principio, eadem methodo tractandi quam superius laudavimus, de frigidis regionibus loquentes; in augmento vero, et ubi suppuratio promovenda, illis utendum remediis quae suppurationem promovere diximus in robustis atque exercitatis.

4° intermediae Etates, plus minus nitroso-emollientium; emollientium pure talium, aut emollientio-discutientium usum postulant; prout plus minus ad praedictos Etatis terminos generaliores accedunt, v. g. si infantiae propinquior Eger, emollientibus discutientia, sed leniora praevaleant; si adulto proximior, emollientia dominium in compositionibus obtineant; et sic de ceteris.

Quinto. Considerandus etiam et sexus; sequioris enim sexus solida, flaccida, laxaque; serosior, dilutiorque sanguinis conditio, discutioni idonea, medicamentorum huc spectantium operam expostulant, additis tamen pure emollientibus, sed tardius quam in viris ob discutionis spem diutius protractam; hac vero incassum tentata, suppuratio, solis emollientibus, facili negotio obtinebitur, basi laxioribus, cum liquidis admodum serosis, in super facile abeuntibus.

Quod ad medicamenta spectat, idem de sexu hoc, ac de junioribus, dicendum, medicamenta proinde eadem tam in principio, quam in statu &c. convenire ex aequo fere illis ut et his possunt.

Sexto. temperamentorum quoque ratio habenda est. cuique enim in praxi exercitato pro certo compertum est, 1° phlegmatici temperamenti homines, quorum vasa admodum flaccida, atque ut ita dicam attona, liquidaque humido exuberante scatentia, inflammatoriis affectibus omnium minime esse addictos, hosque jam praesentes, discutionis spem maximam praebere, proindeque huic operi idoneis medicamentis esse incitendum, a principio fere, ad finem usque morbi, additis tantum emollientibus, pro dolorum urgentia, aut ubi suppuratio inevitabilis; imo et hoc in casu, addenda esse discutientia, parca licet manu, idque vasorum tonum firmandum, ne loco puris probe concocti, aquosum nimis generetur, ulcusque, hoc evacuato, flaccidum sordidumque deveniat.

Ex dictis constat hujus temperamenti homines, uti frigidarum regionum incolas esse tractandos, medicamenta proinde quae pro illis praescripsimus, huc referenda

2° sanguinei temperamenti proprium est, tam solida, quam fluida, ita esse constituta, ut naturaliter nullo in excessu peccent, ad hoc enim, quasi ad normam, aliorum temperamentorum excessus atque peccamina, teste Galeno de temperamentis, mensurantur. hinc ergo manifestum est, in tali temperamento donatis, inflammatorias quaslibet affectiones sic esse tractandas, ut in omnibus medicamentis adhibendis, vitetur cujuslibet qualitatis excessus; regulamque generalem a practicis in talibus curandis morbosis affectibus, hic unice esse observandam; h. e. post repellentium positive talium usum, in principio scilicet morbi adhibitorum, emollientia nitrosa in augmento; deinde, emollientia pure talia in statu; eumque discutientibus mixta, in declinatione esse usurpanda.

3° biliosi temperamenti homines, a praedicto temperamento tantum recedunt, quantum eorum vasa stricta magis sunt, atque rigidiori elatere donantur, humorumque inde genita acrimonia a blanda recedunt temperie liquidorum, eorum qui sanguinei temperiei sunt. hinc ergo in inflammationibus quibusvis grandioribus, minor resolutionis spes, majus gangraenae periculum; suppurationisque fere necessitas. inde patet emollientium nitroso-refrigerantium cum positive talibus combinatorum, in principio morbi, summa utilitas; uti et emollientium primae classis per se, aut etiam dolore admodum urgente, cum tertiae classis speciebus narcoticis scilicet mixtorum in omni fere alio morbi periodo. primo enim nitroso emollientia, maxime omnium apta nata sunt, vasorum vibrationes violentiores moderare; humorumque acrimonia biliosa ferocientium orgasmum temperare. in principio scilicet morbi, ubi adhuc affluxus atque impetus praecaveri potest. in augmento vero atque statu, his praevalere debent emollientia primae classis, quibus etiam pro re nata, admisceri debent opiata narcotica, ut vasorum violentiores coerceantur atque compescantur oscillationes, atque intra terminum suppurationi promovendae necessarium retineantur, ut vitetur periculosa semper gangraena.

patet ergo hujus temperiei homines iisdem cum adultis medicamentis esse tractandos. Notandum tamen, hic, narcotica cum emollientibus summo cum fructu combinari, ad sensum nimis exquisitum fibrillarum nervearum, a materia biliosa, admodum acri lacessitarum, minuendum, vasorumque rupturam, atque putredinosam corruptionem inde metuendam praecavendam.

4° siccitas atque rigiditas solidorum in melancholicis, adjuncta liquidorum terrena spissa, resinosa, atque tenaci natura, in causa sunt, cur emollientia-nitrosa in principio inflammatoriarum affectionum, parum tuta sint; emollientia vero positive talia aut sola aut cum his adunata, in augmento atque statu, summe utilia reperiantur, additis fermentantibus, motumque intestinum dissolutorium generantibus vasaque compungentibus medicamentis, si scilicet suppuratio hic fere semper obtinenda promovenda; resolventia vero fere semper vitanda, ne dissipatis fluidioribus inspissatis sanguineis particulis, reliqua materiae obstruentis pars, in scirrhosam concretionem transeat; ut frequenter accidit in talibus temperamentis. qui clarius rationes hujus dogmatis intelligere voluerit, easque petendas habet ex iis quae de statuum diversitate tradita sunt. Medicamenta vero quae hic conveniunt eadem sunt cum iis quae senibus convenire diximus.

5°. qui vero, quae de quatuor hisce temperamentis cardinalibus dicta sunt probe intellexerit, facile poterit mixtorum temperamentorum rationes exquirere, curationemque methodum singulis accommodatam instituere. sic inflammatione laborante sanguineo-phlegmatici temperamenti homine, emollientibus, discutientia addenda sunt, ita tamen, ut haec praevaleant, si magis ad pituitosum quam ad sanguineum accedat temperamentum, illa vero e contra ad sanguineum magis accedat. et sic de ceteris. v.g. sanguineo biliosus, emollientio-nitrosis aut emollientibus positivis tractandus, eademque servata regula hoc est ut horum usui, si magis ad sanguineum quam ad biliosum; illorum vero, si magis ad

biliosum quam ad illud accedat temperamentum.

7° interest et partis affectae naturam considerare: certum est enim 1° partium nervosarum membranosarumve, articulorum, v. g. tendinum &c. dolores justo vehementiores discutientium, aut saltem emollientis discutientium usum expostulare, dummodo abfuerit inflammatio; ad quam praecavendam, dolore vehementiore urgente, ad opiata etiam narcotica cum discutientibus mixta aliquando confugere licet; ea vero jam praesente, his valedicendum, leniterque discutientibus, quae potentissime emolliunt, atque laxant, adjungenda erunt; ut sic spastica vasorum strictura laxata, circulandi libertas humoribus procuretur, nec obstare debet suppurationis periculum: stricta enim atque admodum tensa partium nervosarum compages, suppurationi non ita favet, ut laxior strictura quae in partibus carnosis reperitur: verum quidem est, emollientium praepostero usu, horum scilicet nimis cito applicatorum, nulla urgente necessitate, partium nervosarum tonum enervando, ansam praebere inflammatoriae harum oppilationi, globulis scilicet rubris crassioribus, sanguineis, errore loci in vasa seroso tantum latice transitum naturaliter praebentia, admissis atque impactis: stasi vero hac semel inducta, emollientibus cum discutientibus adunatis, relaxationi, atque discussioni simul studendum est.

2°. si vero suppuratio quam praecavere a principio morbi studio erat, vitari nullo modo nequeat, emollientibus potius utendum; ut imminuta vasorum resistentia, cum liquidis contentis in pus facilius converti possint.

3° ab hac regula excipiendos esse tumores lymphaticos, scrophulosos articulorum, in quorum curatione, emollientibus, semper adjungenda discutientia; ut materia illic quamvis collecta fluctuansque, iterum aut sanguini circulanti communicari possit, aut per insensilem transpirationem evacuari, uti aliquoties vidimus, aperturam tumoris insistentibus medicis chirurgisque quibusdam praesentibus. +

4°. in capitis quibusvis affectibus inflammatoriis, si cuti capillosae subjaceant, vitanda nimium humida atque oleosa; poros enim cutaneos opplendo, partiumque membranosarum subjacentium tonum labefactando, erysipelatosis congestionibus ansam praebent. vitatis ergo cataplasmatibus, unguinosis &c. siccis fotibus, aut sacculis utendum:

5°. quo cordi, vasisve majoribus propinquior inflammata pars, eo emollientium opportunior usus; impetus enim humorum major, violentiorque, qui hic, gangraenae periculum auget, quo proinde cavenda, repetita emollientium applicatione.

6°. observandum quasdam esse corporis partes, quae propter situm aut conditionem cataplasmatum; alias, quae fomentationum; alias denique quae litium embrocationumve applicationem renuant; hinc singularum partium positioni atque naturae, adaptandas esse atque accommodandas esse medicamentorum formulas, oris v. g. atque faucium morbis, gargarismatibus atque collutoriis; oculorum, collyriis; aurium vaporibus, injectionibus, &c; urethrae, vesicae, vaginae, atque uteri, fomentationibus, balneis humidis

et vaporosis, atque injectionibus; Coli atque intestini recti, iisdem, ut et Clysteribus. Aliorum abdominis viscerum, fotibus, baneis, Clysmatibus, & vitatis cataplasmatibus quae pondere gravare, plus quam prodesse possunt.

8° denique morbi natura, si quid aliud, chirurgo probe investiganda est; haec enim incognita, aut parvi pensa, necesse est curam minus certam, imo et insolitum suadere; inflammatoriarum enim affectionum, quibus praecipue dicata sunt emollientia, tam varia tamque diversa est natura, ~~natura~~ causa, tempora sive periodi, intensio, successio, atque symptomata, ut quod uni convenire videtur speciei, alteri e diametro opponatur; imo medicamenta quae hodie maxime idonea experiuntur, proximo die, minus utilia esse possunt: tanta est utilitatis periodorum, ad justam medicamentorum applicationem observantia.

Ut ergo medicamentorum prescriptio ex lege fiat, de singulis horum disserendum; itaque 1° postpositis aliis morbosis affectibus, de tumoribus inflammatoriis agemus, ad quorum curationem usurpantur emollientia; omissis proinde partium mollium, ut et partium durarum praeter naturam tumefactionibus, doloris atque inflammationis minime participibus: praetermissis etiam de humoralibus, oedemate, utpote emollientium usum non admittente; itaque observandum.

1° Criticos quoslibet, hoc est, congestione humorum e se morbificorum aut peregrino miasmate inquinatorum, motu febrili, aut sine hoc, ad corporis peripheriam vi vitae propulsorum, prognatos, pure emollientibus ab ipsomet principio esse tractandos, vitatis iis quae vi repellente quamvis minima, aut discutiente facultate praedita sunt, emollientibus v. g. secundae classis sub nomine emollientium nitrosorum, aut emollientium discutientium cognitis: timendum enim foret ne illorum vi refrigerante, aut horum leni stimulo, repercutiantur humores, ex natura sua noxii, bonitate naturae e sanguinis penu secreti, visceribus postea, summa atque certa cum pernicie congerendos.

2° idem dicendum de emunctoriorum, glandularum quarumlibet tumoribus; de iis qui morsui venenatorum animalium ortum debent, ut et de quibusvis cutaneis eruptionibus maxime criticis.

3° phlegmonosos quoslibet alios tumores, absque miasmate aut humorum acrimonia ortos, tractandos esse, in principio emollientibus nitrosis, admixtis leniter adstringentibus; in augmento, iisdem nitrosis, adjectis primae classis speciebus, plus minus, prout ad statum proximus accedit morbus; in quo scilicet pure emollientia sola, locum habere debent; in declinatione vero, adjiciuntur emollientia resolventia secundae classis, imo et sub finem, pure discutientia, ad reliquias morbi ex integro dissipandas, locum habere possunt.

Sed notandum, tumores necessario suppurandos, tentatis in principio, leniter repellentibus, in augmento vero emollientibus cum his, ut dictum est, admixtis; in statu pure emollientibus esse tractandos: proindeque, discutientia hic locum non habere, humore scilicet resolvendo, suppuratione, nulla arte vitanda, absumpto.

4º quamvis nec innato, nec ~~[illegible]~~ peregrino miasmate viciati humores fuerint, si tumor admodum extensus, febre stipatus, uno verbo, si magnus admodum futurus sit, abstinendum ~~a quolibet~~ quibuslibet refrigerantibus, aut repellentibus, uniceque studendum, ut praecaveatur gangraena, suppuratione summis viribus tentata, remediis quam maxime emollientibus; necessario enim, in praedicto casu, aut haec, aut gangraena expectanda.

5º Si tumor quilibet inflammatorius talis tantusque fuerit, ut summo quo stipatur dolore vigilias, inquietudines, deliriaque secum afferat, repudiatis non tantum quibuslibet aliis tam refrigerantibus quam discutientibus, ipsimet emollientibus, anodyna admiscenda, imo et interne narcotica, ut urgentibus symptomatis obviam eatur, neglecta paululum principaliori indicatione.

6º Tumores ecchymosi ortum debentes, tentatis in principio, antequam mole admodum aucti fuere, repellentibus, postea discutientibus esse tractandos, nisi dolor admodum urgeat, aut suppuratio inevitabilis fuerit, quo in casu, ad emollientia recurrendum foret, admixtis tamen leniter discutientibus.

7º Nervosarum tendinosarumve vulneribus ulceribusve, dolores tumoresve supervenientes caute emollientibus tractandi; saepe enim tales fiunt, ob praeposterum unguentorum nimis pinguium administrationem, unde vasa lymphatico serosa praedictarum partium nimium laxata, portionem sanguinis rubram admittunt, tumoris causam, non nisi leniter discutientibus tonicisque discutiendam.

8º Tumores admodum inflammatorios vulneribus aut ulceribus supervenientes, fotibus, atque cataplasmatibus pure emollientibus, imo additis pro re nata, anodynis, plumaceolis superimpositis esse curandos, ut sic suppuratione laudabili deplentur vasa vulnus ambientia, dissipeturque ea methodo tumor.

9º Ulcera sinuosa, admodum dolentia, ob materiae ichorosae profluentis causticam salinam atque putridam acrimoniam, emollientibus, sub fotus aut injectionis specie applicatis, curanda sunt; sic mitigata erosione, dolorisque lenimine procurato. Idem dicendum de quibuslibet ulceribus putridis atque corruptis, si summus sunt illis calor aut erosio, aut si urina, saliva, aut quilibet alius ex sua natura acer humor ea conspurcet atque dilapidet, talia sunt ulcera sinuosa, vesicae, glandularum sublingualium &c. +

10º In ligamentorum tendinumque nimiis distractionibus, uti fit in luxationibus &c. ante tumoris ortum, positive adstringentibus atque repellentibus in usum tractis, hoc, cum dolore semel orto, emollientibus maxime cautis esse utendum; dolore vero imminuto, his cum discutientibus inmixtis.

11º Fracturarum summos dolores atque tumores inflammatorios, emollientibus atque leniter discutientibus, etiam ante ossium fractorum repositionem, esse curandos; ne extensionibus &c. vasa jam infarcta, nervique admodum tensi, supra modum distracti, cum extravasatis humoribus in gangraenam putrilaginemque abeant, uti saepius vidimus chirurgi imperitia, qui repositionem fractarum partium moliebatur, neglectis et pro nihilo habitis inflammatione &c. notandum tamen, dolores quamvis vehementes, emollientium usum [illegible]

semper expostulare, nec repositionem ossium fractorum retardari debere: e contra, hanc necessario expostulare; idque quam citissime fieri poterit; dolores enim hic, aliquando oriuntur ossium fractorum fragmentis, nervos nervosasque partes lacessentibus atque laedentibus, ac proinde, non nisi hic in suam sedem repositis, tolluntur: quod si statim cito fieri nequeat hac repositio, inflammatio, febris, convulsionesque jam adsint, emollientibus anodinis haec sedanda, antequam tentari debeat repositio.

12° partium mollium tumores quosdam esse, qui ab ipsomet principio, efficacissime emollientium usum expostulant, quales sunt herniae, in quibus intestinum omentumve incarcerata summo cum dolore asperiuntur; nisi enim ex hisce angustiis promptie prolapsae partes liberentur, praesto sunt, vomitus inflammatio, gangraena: alios vero, ad quorum curam, admiscenda discutientia; quales sunt uteri atque ani prolapsus; sed in quibus omnibus, vitanda refrigerantia.

13° partium durarum tumores ~~[illegible]~~ exostoses, v. g. tophos &c. si admodum doleant emollientibus resolventibus, imo et anodynis esse tractandos, omnes vitando excessus, maxime in emollientium adjectione, ne nimium relaxatis circumjacentium partium vasis, affluxuque humorum justo majori allecto, putredinosus aut suppuratorius cieatur motus, atque sic abscessus, ulcusque putridum generetur.

Secundo, tumores erysipelatosos emollientibus non esse tractandos, emollientia enim maxime nitroso-refrigerantia, poros cutaneos stringendo aut unctuositate occludendo, materiaeque morbificae difflationem impediendo, gangraenosae corruptioni viam sternunt: emollientia vero primae classis, fibrarum cutanearum musculoso-nervosarum tonum labefactando, suppurationi, quae semper quantum fieri potest praecavenda, favent, imminuta scilicet vasorum resistentia: adde quod unctuositate sua exitum praecludunt materiae, ex sua natura acerrimae; unde duplici de causa, in pus ichorosum pars inflammata convertitur, erosis scilicet, atque laxatis vasis obstructis, cumque humoribus contentis contritis.

2° Summo tamen dolore acerrimo tumore urgentibus, emollientia discutientia, cum resolventibus usui esse posse, sub forma tamen sicca, maxime, si circa caput orta fuerit erysipelas: aut ad summum sub specie fotus; vitatis linimentis, cataplasmatibus &c. ne materiae acris, perspiratio, apprime necessaria, impediatur.

3° Erysipelas a causa interna, hoc est, a bilioso acri caustica humorum diathesi, critice expulsoria ortum, ab omni externa applicatione arcendum praecipit; nisi summa dolorum violentia, leniter discutientium, expostulare videatur usum: tale enim erysipelas facillime retrocedit, perniciem certam visceri cui adhaeret allaturum; unde internis tantum ad peripheriam corporis leniter propellentibus, debellandum est.

4° Cavendum in erysipelate a frigidis quibusvis, praecipiente Galeno de simplic: medic: facultat: libri 3° ~~16.~~ tertio capite XV, ne ut ipse docet, gangraenosam corruptionem inducant, destructo vasorum cutaneorum infarctorum tono. Cum discutientibus tamen mixta, egregie operantur: hoc Galenus loco citato docet, solanum cum chamomillo admiscens, in erysipelatosis affectionibus.

5.° Vulneribus ulceribusve supervenientia Erysipelata, discutientibus junioribus aut ad summum, emollientio-discutientibus esse curanda, sub forma scilicet fotus, aut quod melius est, pulvisculis, sacculoque inclusis, applicatis; vitatis unguinosis, emplastris, cataplasmatibusque cujuscunque naturae, ne membranosarum partium, in his, tonum labefactando, aut in illis, materiae saniosae exitum praecludendo, foveatur augeaturve morbus.

6.° Erysipelas jam exulceratum, emollientibus etiam unguinosis esse tractandum, admixtis tamen discutientibus atque desiccantibus mineralibus; ut eo tempore quo doloris, ob nudatos papillos cutis nerveos, vitio habeatur, seri acris, caustici, copiose affluentis atque irritantis, obtundatur acrimonia, atque ulterior ipsius proventus impediatur. Cerato ex talibus composito, atque applicato, superimponi possunt fotus discutientes atque leniter anodyni, ut transpirationis ab unguinosis quodammodo impeditae, quantum fieri potest, successus promoveatur.

7.° Idem hic dicendum de Ambustis, saltem de levioribus, ubi elevata tantum epidermide, aut cute substrata parum laesa, dolores acerrimi, atque fere intollerabiles, emollientium oleosorum desiccantibus temperatorum, usum necessario expostulant.

8.° Epidermide post vesicatoriorum usum sublata, papilli nervei, vasorumque cutaneorum orificia nuda, atque lympham particulis ~~aquis~~ salino causticis Cantharidum onustam plorantia, ut ambusta leviora tractanda sunt; hoc est emollientibus leniter refrigerantibus, vitatis tamen desiccantibus, serosam proluviem cum euphoria exiturientem sistentibus.

9.° Tumores exulcerationes cutaneos, Erysipelatosos dictos, scabiem scilicet, herpetem, lichenes &c. emollientium sub forma balnei, fotus &c. usum expostulare; ad cutis sordes detergendos, poros aperiendos, et lympham seroso-salinam tubulis, glandulisque impactam, diluendam, corrigendam, atque transpirationi aptam reddendam; caeterum, attenuantium, incidentium, atque discutientium, ad eorum perfectionem, usum tam interne quam externe expostulare; vitatis, aut saltem adhibitis, non nisi praemissis humorum cacochimiam diathesim corrigentibus, quibuslibet repellentibus, refrigerantibus, atque cutem stringentibus, maxime si morbi praedicti, a vitiosa sanguinis latius conditione, non contagione recepti, originem traxerunt, criticeque ad corporis peripheriam expulsione pullularunt. Sciendum tamen, leniter refrigerantibus cum emollientibus mixta usui esse saepe in cutaneis talibus affectionibus, dummodo dolor, calorque, ab acrimonia talius seri caustica orti, tanti tamque molesti fuerint, ut vigiliam, febriculam hecticam, maciem &c. inducere valeant, aliter vero se res habet, si spissitudini, magis quam tenuitati humorum morbus originem debeat.

Tertio. Tumores Schirrosos, emollientium usum repudiare; in quibuslibet circumstantiis excepta ea sola, ubi materia indurata paululum emollienda ut resolventium actioni, facilius postea obtemperet. Hinc concludendum.

1.° Ab emollientibus aqueis, balneis, v.g. fotibus, imo et cataplasmatibus primae praecipue classis, adjectis tamen secundae classis quibusdam speciebus, esse semper incipiendum; ubicunque schirrhi natura resolutionis spem probet; his tamen alternative esse interpolanda resolventia, ut quod ab emollientibus fluidum atque mobile redditum erat, ab his attenuatum perspirare possit, vasis porisque cutaneis laxatis atque perspirabilibus.

2.° Si tumor, teste Galeno methodo medendi libr: 13.°, resolventium acrimonia, tumentior,

rubicundior, aut indoleat magis; emollientibus utendum, ad haec Symptomata mitiganda, Suppurationemque Carcinomatodiam praecavendam: hoc in casu idem laudatus Galenus, praecipit, Spongia aqua dulci impregnata, partim fovere: imo et balnea suadet Si ijs assuetus aeger fuerit.

3° emollientia, minime oleosa esse debere, ne humoris acribus effluvijs retentis, motum intestinum putrefactivum cieant, Skirrho proinde in Cancrosam putredinem recente.

4° Cavendum etiam ne hac methodo, quod fluidum, aut fluori aptum in tumore erat, dissipetur reliqua materia in irresolubilem duritiem compaginata.

5° Cavendum etiam, ne resolutionis spe decepti, Skirrhos carcinomatodes, seu occultos Cancros, dolore lancinante, Calore, tumefactione &. tam ipsius tumoris, quam vasorum circumambientium cognoscendos, emollientibus, praedicta methodo, curandos suscipiat Chirurgus; summa enim cum ignominia Artis, resolutionis loco, exulceratus exurgit Cancer, nulla ut plurimum arte, postea curandus.

6° denique Cancro jam exulcerato, nisi talis fuerit, ut ferro, Causticis aut saepe extirpari possit, ~~pa~~ palliative tantum, hoc est, ad Crudelissimorum dolorum Cruciatus intollerandos compescendos, applicari debere emollientia desiccantibus atque absorbentibus mixta; imo et ipsa met narcotica; observandum tamen, emplastra, oleosa, aut quovis alia, exitum erodenti Saniei praecludentia, Summa cum cura esse vitanda.

Quarto ~~denique~~. Sciendum tumores Oedematosos quoslibet, pure tales, emollientia non admittere, hoc enim tonum Vasorum, antea justo plus labefactatum, integre destruunt, unde tumoris augmentum, gangrenosaque aliquando corruptio sequitur: humoribus stagnantibus, cum vasis tono atque elatere privatis una putrefactis: in Oedemate tamen pedum leviori, mensium aut hemorrhoidum suppressioni superveniente, vidimus pediluvia multum prodesse, aqua incoctis speciebus aromaticis atque discutientibus, non neglectis internis ad morbi naturam accommodatis remedijs. Oedemati etiam superveniens Erysipelas, discutientio-emollientium usum expostulat; dolore tamen atque rubore semel imminutis, ad pure discutientia confugiendum. de inflammationibus Oedematosis, idem sentiendum, ac de inflammationibus eorum, quorum temperamentum admodum pituitosum est, hoc est, emollientia cum discutientibus ita esse temperanda, ut quo plus Oedemati praevaleat inflammatio, eo emollientium exsuperet vis, et vice versa.

Quinto. idem dicendum de Ceteris tumorum generibus, si horum plurimi complicati simul reperiantur, phlegmonem v. g. cum Erysipelate, hanc, cum illo; utrumque cum oedemate aut Skirrho. temperanda enim ita erunt medicamenta, ut morbi praevalentis naturae potior semper habeatur ratio; hoc est, medicamenta huic debellando idonea, in compositionibus principatum obtineant, additis tantum morbo secundario accommodis, quantum illius urgentia illud exigere videatur. Sit in exemplum, phlegmone cum Erysipelate leviori conjuncta, certum est, emollientia praevalere debere, discutientibus, quantum huic magnitudine praevalet phlegmone; et vice versa. Simili modo sentiendum de Ceteris quibuslibet tumorum complicationibus.

Sexto. Notandum, Membrorum contracturas balneis, fotibus, imo et linimentis leniter resolventibus, ex animalium Callidorum axungijs compositis esse curandas, si medicinae locus sit.

Septimo Membri etiam atrophiam fracturarum deligationes, aut antiquorum exulcerationum seroso saniosas, atque lymphaticas evacuationes subsequentem, tractare

Sicut et Hippocrates de fracturis agens, imo et Galenus in Commentarijs in eiusdem
Hippocratis librum de fracturis, multa aqua callida, cum vel sine Oleo, ut relaxatis vasis
lymphæ Nutritivæ suscipiendæ aptius reddatur membrum. Iidem Clarissimi laudati
Auctores, fotus eosdem commendant, ubi nimiæ fasciarum compressioni, in fracturis, super-
venit tumor cum dolore, rubore, atque duritie, sublatis, atque laxatis quam citissime fascijs,
ob gangrænæ, propter circulantis sanguinis interceptionem, ligaturæ nimis strictæ, vitandam.
Satis jam factum esse puto porro, a Celeberrima vestra Academia proposito: accuratius enim
de singulis emollientium dotibus specificis, morborumque specialioribus differentijs, disquirere
tentanti, Chirurgiam integram complectere necessum foret, quod a proposito quidem vestro
alienum esse compertum habeo. Sufficiat ~~enim~~ ergo, vestram benevolentiam assequenti, si quid
humeri valeant, patefacere queat, quorum chirurgicorum ex omni parte expolitorum, his
qui omni doctrinæ specie, praxique diuturniori consummati sunt, cura relicta. Ego quidem
summa qua potui industria, emollientium distributiones, ex probatissimis Nostri Sæculi
Authoribus, Tournefortio, Hermanno, Boeclero, Boerhaavio, Chomelio, desumsi; species in
chirurgicis usualiores, recensui, posthabitis compluribus alijs ejusdem naturæ atque proprietatis,
quæ aut medicis dicata sunt, aut raro in chirurgicis usurpantur, optime sciens, immensam
medicamentorum farraginem, tironum memoriæ, potius oneri esse quam utilitati: quasdam
omnium generum formulas selectiores, tam ab Antiquis, quam a recentioribus Medicis atque
Chirurgis excerpsi; ad quarum normam, alia pro re nata innumera concinnari possunt.
de Victu Regiminis ordinando, medicamentorumve internorum usu, aut operatione quacunque
Chirurgica, phlebotomia v. g. &. ex toto silui, unice de Emollientium usu sollicitus.
inutile etiam duxi, singulis articulis, probationes speciatiores ex authoribus innectere;
sic enim in immensam cresceret molem, opus exile, fere epistolarium; satius autem
duxi, hic, in genere, virorum de Chirurgia optime meritorum, quorum opera usus sum,
nomina inserere, cuilibet liberum relinquens ex ijs, quæ hic insinuavi, excerpere; ceterum enimvero,
molestum admodum foret, Galenum, Sennertum, Riolanum, Dagaultium, Barbette, Junkerum,
Wisemannum, Turnerum, Boerrhaavium, Col de Villars, et plurimos alios, singulis paginis
nominare; imo admodum difficile foret, cautelas quas posui plurimas, authoritate
facile comperienda, atque expressis verbis obvia, stabilire; partem enim maximum eorum
quæ a me dicta sunt, non nisi ex generaliori prædictorum clarissimorum virorum operum
conspectu, sensu eorum intimo quasi ex tenebris atque ambagibus evoluto decerpsi; inspectis
scilicet, atque probe observatis eorum principijs, cumque his, formularum summa diversitate
concinnatarum, compositis discrepantijs saltem apparentibus. eidem enim morbo, cur
Medicamenta plus minus emollientia, prævalentibus aliquando discutientibus, aliquando
emollientia refrigerantibus, aliquando denique narcoticis, principijs manentibus ijsdem
stabilitimis atque inconcussis, suaderent viri Clarissimi, nisi ut Chirurgo astanti, atque omnia circum-
spicienti accidentiaque examinanti, liberum relinquant, his uti quæ maxime opportuna
videantur, habita exacta Circumstantiarum ratione? cur iterum tam prolixi, tamque

Sibi invicem sæpenumero inter curandum oppositi appareant Viri doctissimi, nisi quia Circumstantiæ diversæ, diversam curandi viam monstraverint; profecto, horum singuli, curandi Scopum, quamvis medicamentis specie diversis, optime assecuti sunt, et rationem proculdubio redderent diversitatis prescriptionum quibus usi sunt; nisi pro certo haberent, scientiam tempestive idonea applicandi, non nisi ex physiologicis, pathologicisque esse eruendam; ni hisce ergo, probe versatis, scientiis, non rudes tyronibus, opera consulere; ego vero, ut his, aliquid novi, promittere parum capax; illis, tractatulum hunc, quam potui, clarum atque perspicuum compilavi, vobis Magistri Clarissimi, Utinam gratum.

Notum vobis facere Cogor Viri Clarissimi, me, hujus opusculi Nullum, apud me Servasse exemplar Sanitate labascente, Negotiisque innumeris, tempus ad id requisitum abs... deficientibus.

A Messieurs

A Messieurs de l'Académie Royale de Chirurgie de Paris

a Paris.

Suadet Hippocrates de fracturis agens, imo et Galenus in Commentarijs in ejusdem
Hippocratis librum de fracturis, multa aqua callida, cum vel sine Oleo, ut relaxatis vasis,
lympha Nutritiva suscipiendo aptius reddatur membrum. † Ijdem Clarissimi laudati
Autores, fotus eosdem commendant, ubi nimia fasciarum compressioni, in fracturis, super-
venit tumor cum dolore, rubore, atque duritie, sublatis, atque laxatis quam citissime fascijs,
ob gangraenam propter Circulantis Sanguinis interceptionem ligatura nimis stricta ortam.
Satis jam factum esse puto pensso, a Celeberrima vestra Academia proposito; accuratius enim
de singulis emollientium dotibus specificis, morborumque specialioribus differentijs disquirere
tentanti, Chirurgiam integram complectere necessum foret, quod a proposito quidem vestro
alienum esse compertum habeo; Sufficiat ergo ~~enim~~ vestram benevolentiam assequenti, si quid
humeri valeant, patefacere queat, operum chirurgicorum ex omni parte expolitorum, his
qui omni doctrinae specie, praxique diuturniori consummati sunt, cura relicta. Ego quidem
summa qua potui industria, emollientium distributiones, ex probatissimis Nostri Saeculi
Authoribus, Tournefortio, Hermanno, Boeclero, Boerhaavio, Chomelio, desumsi; species in
chirurgicis usualiores recensui, posthabitis complurimis alijs ejusdem naturae atque proprietatis,
quae aut medicis dicta sunt, aut raro in chirurgicis usurpantur; optime sciens, immensam
medicamentorum farraginem, tironum memoriae, potius Oneri esse quam utilitati: quasdam
omnium generum formulas selectiores, tam ab Antiquis, quam a recentioribus Medicis atque
Chirurgis excerpsi; ad quarum Normam, alia pro re nata innumera concinnari possunt.
de Victu Regimine ordinando, medicamentorumve internorum usu; aut operatione quacunque
Chirurgica, phlebotomia v. g. &c. ex toto silui, unice de Emollientium usu sollicitus.
inutile etiam duxi, singulis articulis, probationes speciatiores ex authoribus innectere;
sic enim in immensam cresceret molem, opus credo, fere epistolarium; satius autem
duxi, hic, in genere, virorum de Chirurgia optime Meritorum, quorum opera usus sum,
nomina inserere, cuilibet liberum relinquens, ex ijs, quae hic insinuavi, excerpere. nimorum
molestum admodum foret, Galenum, Sennertum, Riolanum, Lagaultium, Barbette, Junkerum
Wisemannum, Turnerum, Boerhavium, Col de Villars, et plurimos alios, singulis paginis
nominare; imo admodum difficile foret, Cautelas quas posui plurimas, authoritate
facile comperienda, atque expressis verbis obvia, stabilire; partem enim maximam eorum
quae a me dicta sunt, non nisi ex generaliori praedictorum clarissimorum virorum Operum
conspectu, sensu eorum intimo quasi ex tenebris atque ambagibus evoluto decerpsi; inspectis
scilicet, atque probe observatis eorum principijs, cumque his, formularum summa diversitate
concinnatarum, comparitis discrepantijs saltem apparentibus. eidem enim morbo, cur
Medicamenta plus minus emollientia, praevalentibus aliquando discutientibus, aliquando
emollientis refrigerantibus, aliquando denique Narcoticis, principijs manentibus ijsdem
stabilimis atque immotis, suaderent, viri Clarissimi nisi ut Chirurgo astanti, atque omnia circum-
specta accidentiaque examinanti, liberum relinquant, his uti quae maxime opportuniora
videantur, habita exacta Circumstantiarum ratione? cur iterum tam prolixi, tamque

Sibi invicem sæpenumero inter curandum opponi appareant Viri doctissimi, nisi quia Circumstantiæ diversæ, diversam curandi viam monstraverint; profecto, horum singuli, curandi Scopum, quamvis medicamentis specie diversis, optime assecuti sunt, et rationem proculdubio redderent, diversitatis prescriptionum quibus usi sunt, nisi pro certo haberent, Scientiam tempestive idonea applicandi, non nisi ex physiologicis, pathologicisque esse eruendam; in hisce ergo, probe versatis, Scientiis, non rudis tyronibus, opera consulere; ego vero, ut his, aliquid novi, promittere parum capax; illis, tractatulum hunc, quam potui, clarum atque perspicuum compilavi, vobis Magistri Clarissimi, utinam gratum.

Notum vobis facere Cogor Viri Clarissimi, me, hujus opusculi Nullum, apud me exemplar Servasse, Sanitate labascente, Negotiisque impluentibus, tempus ad id requisitum alis deficientibus.

A Messieurs

A Messieurs de l'Academie Royale de Chirurgie de Paris

a Paris.

Dabam Sancti Quintini anno 1742. Michael Comijn Doctor medicus

Memoire pour le prix des emolliens
et ~~[illegible]~~. Reçu le 11e novembre 1743

N°. 1.

concinnatarum, comparitis discrepantiis saltem apparentibus: eidem enim morbo, cur
Medicamenta plus minus emollientia, praevalentibus aliquando discutientibus, aliquando,
emollientes refrigerantibus, aliquando denique narcoticis, principiis manentibus iisdem
stabilissimis atque inconcussis, suaderent viri Clarissimi, nisi ut Chirurgo astanti, atque omnia circum=
specta accidentiaque examinanti, liberum relinquant his uti quae maxime opportuna
videantur, habita exacta Circumstantiarum ratione? cur iterum tam prolixi, tamque